

# EPISTULA LEONINA

## CCXXI

HEBDOMADALE  
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
QUOD ĒDITUR  
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI  
CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CCXX** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
**DUCENTESIMAM VICESIMAM PRIMAM (221) !**

**ARGUMENTA**

<b>MUNDUS VULT DECIPI.....</b>	<b>03</b>
<b>OFFICINA VOCABULORUM.....</b>	<b>04-06</b>
<b>MELIOLOGIA.....</b>	<b>07-17</b>
<b>FABELLA GRIMMIANA: De pulte dulci.....</b>	<b>18</b>
<b>FABELLA GRIMMIANA: De bestiis fidelibus.....</b>	<b>19-22</b>

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS AMANTIBUS  
SAL.PL.DIC.**

***Cara Lectrix, Care Lector,***

*utinam adversus offensiones pseudopandemicas atque climatomanicas degas dies autumnales quam iucundissimos! Obliviscere huius temporis turbas et terrores, aures tuas obtura declamatoribus »novae normalitatis« mendacibus morologisque: converte te ad bonas litteras et studia humaniora. Carpe diem, tolle lege Epistulam Leoninam novissimam, i.e. ducentessimam vicesimam primam (EL 221). Eidem insunt lexicographica, botanica, narratoria... Attende: delectaberis.*

**Medullitus Te salutat  
Nicolaus Groß**


**Sodalis Academiae Latinitati Fovendae**



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,  
Die Dominicâ, 04. m.Octobris a.2020**



**MUNDUS VULT DECIPI:  
ERGO DECIPIATUR**

## OFFICINA VOCABULORUM (III)

### Praeparationes Orbis Picti Hexaglotti

1) *theod. Sport; angl. sports; fr. sport; hisp. deportes; ital. sport*

+**disportus**, -ūs m.

\***disportīvus**, -a, -um

cfr **Joseph Holzer, Palaestra Latina N.139**, mensibus Majo et Junio, **1953**, p.48-50: Nova et Vetera – De re athletica, qui multa affert exempla et doctissimê refert! ibid. p.48: “**Nomen substantivum est disportus quartae declinationis...**” ibid. p. 50: “Nec vero hoc adjectivum «**disportīvus**» in sermone ad usum commodo neglegendum esse censeo. *Sportklub – club sportivo – sodalicium athleticum, sodalicium disportivum*”

\***disportuālis**, -e:

cfr Groß, Ephemeris:

<http://ephemeris.alcuinus.net/archi2012/nuntius1.php?id=1124>: 28.09.2012:

“Sententia iudicialis ad disportum scholarem pertinens...n.2: institutio

\*disportualis – Sportunterricht (+disportus, -ūs m. Sport)...”

Adnotat **Gaius Licoppe**: “‘*Disportus*’ adhibes, quo ‘*sport*’ significare vis. Vocabulum Anglicum ‘*sport*’ adhibetur quoque Francogallice et originem Francogallicam habet. Originem enim trahit ex archaico vocabulo Francogallico ‘*disport* = amusement, jeu’. ‘*Disportus*’ ergo accipi potest, sed Caelestis solum ‘*athletica*’ proponit.”

2) *theod. Camping, Campen; angl. camping; fr. camping; hisp. acampada; ital. campeggio*

\***tentōriātiō**, -ōnis f.;

verbum temporale: **tentōriāre**, -ō, -āvī, -ātum

[<https://thesacredscripture.org/cgi-bin/Writings?ref=16943+1616>: Emanuel Swedenborg, “Arcana Coelestia I, a.1616.

„Quod '**tentoriavit** Abram, et venit et habitavit in quercetis Mamre, quae in Hebron' significet quod Dominus pervenit ad perceptionem adhuc interiorem, constat a significatione '**tentoriare**,' seu **tentorium movere et figere**, quod sit conjungi: 'tentorium' enim es sanctum cultus, quod ostensum prius n. 414, 1452,

quo conjungitur externus homo interno; exque significatione 'querceti' quod sit perceptio, de qua prius n. 1442, 1443, ubi 'quercetum Moreh,' quod est prima perceptio, hic autem 'querceta Mamre' in plurali, quae significant perceptionem plurem, hoc est, interiorem; haec perceptio appellatur 'querceta Mamre quae in Hebron'; Mamre memoratur etiam alibi, ut Gen. xiv 13; xviii 1; xxiii 17-19; (x)xxxv 27....“]

Adnotat **Gaius Licoppe**: “- *Camping: post iter, quod ante multos annos in Portugalam feci, Caelesti narraui me in hac civitate ubique legisse ‘campismo’ pro camping. Cum Caelestis mallet neologismos Latinos derivare ex aliqua lingua romanica, gavisus est de hoc nuntio et statim proposuit ‘campismus’*”.

**3) theod. Patrone; angl. cartridge; fr. cartouche; hisp. cartucho; ital. cartuccia; neogr. φουίγγιον**

**Bauer** (a.1806) et **Güthling** (a.1918) proponunt: **embolus**, -i m.

[cfr VITRUV.10,7,3 embolus, -i m. “der Kolben bei Saug- und Druckwerken” (Georges).----

cfr Karl Ludwig Bauer, Deutsch-lateinisches Lexicon, 3.ed., Breslau 1806, col.1938: “Patrone, f., zum Schießen, embolus, embolium, malleolus...” ---

cfr Otto Güthling, Langenscheidts Großwörterbuch, Teil II: Deutsch-Lateinisch, 1.ed., Berlin 1918, Nova impressio 9.ed., Berlin/München/Zürich 1976: Patrone, embolus, -i m.]

**Gaius Licoppe** adnotat haec : «*Patronen: Fr cartouches. Embolus est vocabulum certe antiquum, sed nimis generale; oportet vocabulo specifico uti. Sic inscriptum est in lexico meo privato: (de l’italien cartuccia (carta): Lat. cartucia. Kunststoffhülse: Fr. douille: initio fuit ex charta, nunc ex plastico, sed multo saepius ex metallo. Fr. et Angl. idem vocabulum adhibetur si agitur de armis vel de loculo in quem inseritur lampas electrica. Capsula est nimis generale; vocabulum speciale necessarium est. In lexico meo scriptum est: douille: (du francique dulja) (Angl. cartridge (arme); socket (électr.): dulia. »*

Gaius Licoppe rectê adnotat significationem verbi, q.e. embolus, parum speciale esse. Sed “cartuccia” est verbum Italicum, “dulia” sive originaliter “dulja” est verbum (palaeo)francicum, non Latinum.

Ceterum etymon verborum romaniorum, quod spectat ad „chartam“, non iam quadrat ad rem denominandam.

Itaque propono aliud verbum:

*theod. Patrone; angl. cartridge; fr. cartouche; hisp. cartucho; ital. cartuccia; neogr. φουσίγγιον*

**\*pyrothēcium**, -ī n.

Quod nomen iam confictum est a botanicis, qui appellaverunt quandam speciem muscorum hoc nomine: *Rhodobryum pyrothecium*. Sed hac ambivalentia certe nemo perturbabitur.

**IN OFFICINA VOCABULORUM  
OPERATUR  
LEO LATINUS**


# MELIOLOGIA SIVE HISTORIA ARBORIS FRAXINI



**Fraxinus excelsior L.**

## TAXA SYSTEMATICA

<i>subclassis:</i>	<i>Asteridae</i>
<i>ordo:</i>	<i>Lamiales</i>
<i>familia:</i>	<i>Oleaceae</i>
<i>genus:</i>	<i>Fraxinus</i>
<i>species:</i>	<i>Fraxinus excelsior L.</i>



*Fraxinus excelsior* est species arborum Europam incolens, quae propter altitudinem quadraginta maximum metrorum in numerum refertur arborum frondearum Europae altissimarum; in locis autem magis expositis eadem assequitur tantummodo altitudinem quindecim vel viginti metrorum. Quia fraxinus saepe consociatur cum fago, quae est eius competitrix valida, fraxineta maiora plerumque in societatum plantarum silvestrium locis umidioribus (in plagis ripariis ligni duri, in silvâ ripariâ) aut aridioribus (in humis calceis humilioribus), in quibus fagus minus valet. Lignum fraxineum propter qualitates suas aptissimas refertur in numerum lignorum frondeorum nobilium. Post fagum et quercum fraxinus habet lignum Europae



utilissimum. Lignum fraxini praecipuê ibi adhibetur, ubi requiruntur summa soliditas atque flexilitas. Itaque lignum fraxineum saepe adhibetur ad fabricanda manubria instrumentorum fabrilium, athleticorum, rerum flexilium.

Ex annis saeculi proximi praeteriti nonagenariis fraxino imminet tabes, quae efficitur specie ascomycetum, cui nomen est *Hymenoscyphus fraxineus*. Quae tabes fraxinorum in Poloniâ exorta interim grassatur in magnis Europae partibus.

Anno 2001 (bis millesimo primo) fraxinus in Germaniâ a fundatione Doctoris *Silvii Wodarz*, quae appellatur *Menschen für Bäume* et ab eiusdem curatorio electa est arbor anni praestantissima (*Baum des Jahres*).

## **Descriptio**

### **Forma exterior**



**Fraxinus excelsior**

Haec fraxinus longitudinem habet maximam 40 (quadraginta) metrorum et trunci diametrum 2 (duorum) metrorum. Post 100 (centum) annos eadem habet altitudinem mediam 30 (triginta)

metrorum et in altitudine pectoris humani habet diametrum minimum 30 (triginta), maximum 40 (quadraginta) centimetrorum. Fraxinus excelsior aetatem maximam habet 250 (ducentorum quinquaginta) vel maximum 300 (trecentorum) annorum. Axis trunci plerumque est rectus neque furcatus. At in areae distributionis locis marginalibus fraxini sunt insigniter minores, quibusdam locis non inveniuntur nisi formâ fruticum, velut in Norvegiâ. Crescentia fieri solet vincta, id est, germinatio unius anni tota praedisposita est in gemmâ anni proximi praeteriti. Non nisi bonis sub condicionibus crescentia fit libera et germina sine periodo quietis eodem anno evolvuntur. In arboribus juvenilibus observantur germina sylleptica<sup>1</sup> et proleptica<sup>2</sup>.

Praeter germina longa et brevia fraxinus emittit etiam germina linearia, quae longiora sunt quam germina brevia, sed non ramificantur<sup>3</sup>, quod fit de germinibus longis. Rami angulo recto e trunco crescunt; ramuli sunt sursum erecti. Ramuli, quibus deest lumen, moriuntur et defringuntur. Hoc solet incohari post tres vel quinque annos.

### Cortex et lignum fraxini



<sup>1</sup> **germen \*syllēpticum** orig. *Bereicherungstrieb*.

<sup>2</sup> **germen \*prolēpticum** orig. *Johannistrieb*.

<sup>3</sup> **\*rāmificor**, -ārī orig. *sich verästeln, sich verzweigen*.

### **Cortex Fraxini excelsioris**

Cortex fraxinorum iuvenilium est viridulus vel fulgidê griseus, paucis tantum lenticellis<sup>4</sup>. Post 15 (quindecim) vel 40 (quadraginta) annos incohatur suberificatio<sup>5</sup>; efformatur cortex reticulatus<sup>6</sup>. Cortex ipse est crassus et abundat sclerenchymate, desunt fibrae libri.



### **Sectura trunci fraxinei transversa**

Lignum habet poros annulares, lignum prius plerumque continet vasa crassa, compluribus seriebus sita, quae valdê differunt a vasibus ligni posterioris. Itaque ânuli annuales insigniter apparent. Vasa ligni posterioris sunt passim sita, parva, oculo non armato aegrê visibilia. Radii ligni sunt angusti. Duramen fraxini vix dinoscitur ab albarno lato et flaveolo. Vetustiores demum arbores, quae habent septuaginta, octoginta aut plures annos, habent nucleum lucidê-fuscum, qui, si saltuaris ligno utitur, habetur pro vitio coloris. Fraxini, quae in solis siccis et calcosis crescunt, sunt anulis angustioribus et, si senescunt, efformant nucleum ligno *Oleae europaeae* similem. Tales arbores appellantur “fraxini olivaceae”; quarum lignum gratissimum est suppellectilium emptoribus.

<sup>4</sup> \*lenticella, -ae f. orig. Korkpore.

<sup>5</sup> \*süberificatiō, -ōnis f. orig. Verkorkung.

<sup>6</sup> cortex rēticulātus orig. Netzborke.

## **Radices fraxini excelsioris**

Radix principalis primo in solum crescit verticaliter, sed post pauca centimetra crescit in directionem horizontalem et efformat systema talearum radicale<sup>7</sup> typicum, quod habet radices laterales fortes, superficiei propinquas. Ex iisdem et ex trunco oriuntur radices fortes, ad perpendicularum crescentes. Radices subtiliores quibusdam in regionibus abundant, in aliis desunt. Systema radicale fraxini nonagenariae e basi trunci usque ad maximum 350 cm (trecenta quinquaginta centimetra) diffunditur et contingit usque ad profunditatem 140 cm (centum quadraginta centimetrorum).

## **Gemmae et folia *Fraxini excelsioris***



**Gemma hiemalis**

---

<sup>7</sup> *systema talearum radicale* orig. *Senkerwurzelssystem*.



### Folia

Gemmae breves obsitae sunt pilis densis, nigris, tomentosis, quibus evitantur gelu atque evaporatio. Gemmae apicales, qui habent longitudinem latitudinemque unius ferê centimetri, insigniter longiores sunt quam gemmae laterales, quae quinque tantum milimetra sunt longae. Gemmae florum sunt obtusiores atque globosiores quam aliae. Gemmae mense Iulio exeunte sunt perfectê praedispositae. Saepe in germinibus principalibus gemmae nodi sunt ex adverso sitae.

Folia stant decussatê-adversaria<sup>8</sup>, verticilli foliorum non inveniuntur nisi in germinibus eximiê vitalibus. Folia cum petiolo 5 – 10 cm (quinque vel decem centimetra) longo longitudinem assequuntur 40 cm (quadraginta centimetrorum) et solent habere pinnae 9- 15 (novem ad quindecim), raro inveniuntur pinnae pauciores. Singulae pinnae longitudine sunt 4 (quattuor) aut 10 (decem) centimetra longae, 1,2 cm – 3,5 cm (unum-virgula-duo ad tria-virgula-quinque centimetra) lata. Quae folia sunt ovali-lanceolata, longa et acuta et in basi cuneiformia, parva et acriter serrata. Superficies eorum est calva et saturatê virens. Superficies inferior est lucidê caesia, nervus medius et partim nervi laterales interdum sparsim sunt pilis tomentosis obsiti. Foliola lateralia sunt aut breviter petiolata aut sessilia, foliolum apicale est petiolo longiore. Rachis folii est sulco piloso et lenticellis, desunt folia secundaria. Folia plerumque ex arbore decidunt adhuc viridia, nonnisi

---

<sup>8</sup> *decussatê-adversarius*, -a, -um orig. *kreuzweise gegenständig*.

in regionis habitatoriae oriente continentali (v. infra) folia interdum flaveolescunt.

### **Flores et fructus *Fraxini excelsioris***

Fraxinus libera stans pubescit vicenaria vel tricenaria, cum aliis arboribus si congregatur, post annos triginta vel triginta quinque. Quae arbor est androgyna, sed interdum in singulis individuis sexus est reductus (trioecia). Flores fraxini habent ovarium viridescens, syncarpum, ex duobus carpellis exortum, et duo stamina. Antherae instant brevibus filamentis et primo sunt purpureae. Desunt sepala et petala. Fraxinus excelsior est unica species familiae Oleacearum anemophila, id est pollinatur vento. Inflorescentiae fraxini sunt paniculae<sup>9</sup> laterales, quae iam ante frondes apparent in germinibus anni proximi praeteriti. Quae primo stant erectae, postea sunt pendulae.

Fructûs fraxini sunt nuces alatae et uniseminales, petiolis exilibus. Quae sunt 19-35 mm (undeviginti usque ad triginta quinque milimetra) longae et 4-6 mm (quattuor usque sex milimetra) latae, angustê oblongae aut oblongae et inversê cuneiformes, nitidê fuscae et paululum contortae. Nux est longitudine 8 mm (octo usque ad quindecim milimetrorum) et latitudine duorum vel maximum trium milimetrorum, in basi rotunda, supra convexê compressa. Limbus alarum est linguiformis, saepe emarginatus, rarius acutus, et detegit nucem, si maximê, usque ad partem dimidiam. Fructûs maturescunt a mense Octobrem usque ad Novembrem et decidunt per totam hiemem.

Nuces volant tamquam helicoptera (pterometeorochoria) per distantiam 60 m (sexaginta metrorum, raro 125 m (centum viginti quinque metrorum)).

---

<sup>9</sup> pānicula, -ae f. orig. *Rispe*.



**Gemmae quales sunt ante efflorescentiam**



**Gemmae florum**



**Flores masculini**



**Fructus**





**Fructûs subtilius visibiles**

### **Germinatio atque crescentia**



**Plantula fraxini, circiter menstrua**

*Fraxini excelsioris* germinatio est epigaea. Semina huius arboris sunt germinationis inhibita, i.e. eadem per duas ferê hiemes requiescunt, antequam germinant, sed interdum in solo remanent per sex annos ad

germinandum habilia. Inhibitio germinandi partim ex eo oritur, quod embryo tempore maturitatis dimidiam demum magnitudinem assequitur. Praeterea quiescentia seminis augetur acido abscisini<sup>10</sup>, quod inest.

Duae cotyledones plantulae sunt exiles, oblongae, reticulatae, longitudinem assequuntur 5cm (quinque centimetrorum) et latitudinem 7mm (septem milimetrorum). Quae similes sunt cotyledonibus arboris aceris, sed ab illis differunt nervaturâ reticulatâ. Folia primaria sunt indivisa, sed folia frondea, quae sequuntur, sunt tripinnata. Si in areis liberis aut in veteribus fraxinetis valdê collucatis<sup>11</sup> valent condiciones luminis satis aptae, fraxinus celeriter crescit in longitudinem; crescentia maxima fit annis aetatis, quae sunt inter duos et quindecim. Hōc spatio annorum fraxinus germina potest agere, quae crescunt quotannis uno et dimidio metro. In fraxinetis densis crescentia crassitudinis minus fit quam altitudinis; sed sub bonis condicionibus fraxinus potest anulos efficere annuales, qui habent latitudinem 9 mm (novem milimetrorum).

*(ALTERA PARS SEQUETUR)*

**MELIOLOGIAM  
SIVE HISTORIAM FRAXINI  
ID EST SYMBOLAM WIKIPEDIANAM  
DE HAC ARBORE SCRIPTAM  
IN LATINUM CONVERTIT  
LEO LATINUS**

<sup>10</sup> **acidum abscisīni** orig. *Abszisinsäure*.

<sup>11</sup> **collūcāre**, -ō, -āvi, -ātum orig. *lichten*.

## **FABELLA GRIMMIANA (103)**

### **De pulte dulci.**



Aliquando fuit pia puella pauper, quae unâ cum matre vixit sôla, et ambae nihil iam habuerunt, quod comederent. Tum puella foras exiit in silvam, ibidem incidit in anum, quae iam noverat puellae miseriam, eique donavit ollulam, quae quandocumque sibi dictum erat “Ollula, coque!”, coquebat bonam pultem miliaceam dulcem, et quandocumque puella dixerat „Ollula, siste!”, desinebat coquere. Puella autem hanc ollulam domum secum attulit, et nunc mater et puella a fame atque paupertate erant liberatae, et pultem dulcem comedebant, quotiescumque volebant. At aliquando puella domo exierat, tum mater dixit „Ollula, coque!”, et ollula pultem coxit, et mater comêdit, usque dum saturaretur; nunc eadem voluit ollulam sistere, sed nescivit, quo verbo dicendo id efficeret, ut ollula pultem coquere desineret. Ergo ollula perrexit pultem coquere; quo factum est, ut puls ascenderet super marginem, et tamen ollula coquere non desineret, ut complerentur coquina et domus, et altera domus et deinde via strata, quasi ollula vellet saturare omnes homines totius orbis terrarum, ut oreretur necessitas summa et ferê nullus homo inveniret remedium. Tandem, cum una tantum domus restaret, quae non pulte abundaret, puella domum veniens nihil dixit nisi: „Ollula, siste!“ et tum ollula desiit coquere; et si voluerunt in urbem ire, necesse fuit, ut illuc pervenirent comedendo.

## **FABELLA GRIMMIANA (104)**

### **De bestiis fidelibus.**

Aliquando fuit vir, qui non multum habuit pecuniae, et cum parvâ pecuniâ, quae sibi restiterat, profectus est ad terras longinquas. Tum vênit in vicum, ubi pueri concurrebant clamantes atque strepitantes. Vir autem: „Quid“ inquit, „agitis, pueri?“ – Deinde illi responderunt: „Ecce, murem habemus, quem volumus saltet, vide, quantum delectemur! En murem trepidantem!“ At virum miseruit miserae bestiolae, itaque pueris dixit: „Ah pueri, sinite murem aufugere, dabo vobis pecuniam.“ Tum illis pecuniam dedit, ut murem sinerent abire, îdem cucurrit quam celerrimê, in aliquem scrobiculum. Vir autem abiit et vênit in alterum vicum, ubi pueri simiam habebant, quam coegerunt, ut saltaret et cernuaret<sup>1</sup>, et illi eum irridebant nec bestiam omittebant quietam. Tum vir illis quoque dedit pecuniam, ut simiam dimitterent. Postea vir vênit in vicum tertium, ibi pueri habebant ursum, quem cogebant, ut sederet erectus et saltaret et uncaret, quod audiebant libentissimê. Tum vir etiam eum redêmit, et ursus laetatus est, quod denuo ingrederetur quattuor pedibus, et abiit.

Vir autem nunc cum etiam pauxillulum erogavisset pecuniae sibi relictæ, ne nummulum quidem habuit in sacculo suo bracarum. Tum vir intra se cogitavit: „Rex tot tantasque res possidet thesaurario suo impositas, quibus non eget: Ne fame peream, aliquid illinc sumam, et si quid pecuniae denuo accepero, hanc summulam in thesaurario reponam.“ Ergo thesaurarium invasit, nonnulla cimelia secum abstulit, at erepens a custodibus rêgis deprehensus est. Qui eum dicentes esse furem abduxerunt ad iudicem, qui virum damnans cistae includendum esse, quae imponenda esset aquae. Operculum autem cistae abundabat foraminibus, ut aer invaderet; necnon cistae impositus est urceus aquae et panis. Aquae innatans timore correptus vir subito audit ad claustrum aliquid arrepens et arrodens et fremens: tum claustrum rapidê aperitur, operculum tollitur, en apparent mus et simia et ursus, qui aperuerunt; quia vir iis adfuerat, ipsi voluerunt ei adesse. Sed nunc nesciverunt, quid facturi essent, et consuluerunt: tum

---

<sup>1</sup> **cernuâre**, -ō, -âvi, -âtum orig. *einen Purzelbaum schlagen*. angl. *to turn a somersault*.

cfr OLD p.3023 s.v.: “To fall head first, dive; to turn a somersault. Catafractos similes esse beluis piscibus, eas eludere alto mari cernuantes FRO.Ver.2. p.212 (208 N). corpus exanimatum in flumen paene cernuat APUL.Met.1.a9; -pellis...percurrerant ibique cernuabant VAR. in Non.p.21.M.”

annatavit lapis albus, qui aspectu fuit ôvi rotundi. Tum dixit ursus: „en is vênit recto tempore, nam est lapis mirabilis, quem is qui possidet, potest sibi exoptare quidcumque cupit.“ Tum vir lapidem cepit, eumque manu tenentem sibi exoptavit, ut acciperet castellum, cui adiaceret hortus et stabulum equorum, et vix optatum elocutus vir iamiam consedit in castello, cui adiacebat hortus et stabulum equile, et omnia erant pulchriora et magis magnifica, quam ut mirari desineret.

Aliquamdiu post mercatores praeterierunt. „Ecce,“ vocaverunt „quam magnificum est hoc castellum, cum nuper hunc locum praeteriremus, nihil hîc fuit nisi mala harena.“ Cum curiosi essent, intraverunt et ex viro quaesiverunt, quonam modo omnia tam celeriter aedificavisset. Tum vir: „Hoc non ego feci, sed lapis meus mirabilis.“ Tum illi: „Qualis est hic lapis?“ Deinde vir lapidem allatum monstravit mercatoribus. Qui vehementer cupiverunt lapidem accipere, et rogaverunt, num posset emi, et viro praebuerunt omnes merces suas pulchras. Vir quia mercibus allicebatur et animo erat parum constanti, deceptus putavit merces pulchras plus valere quam lapidem suum mirabilem, eumque vendidit. At vix e manibus lapidem ediderat, iamiam amisit etiam fortunam suam bonam, et iterum consedit in cistâ illa conclusâ flumini impositâ nihil habens nisi urceum aquae et panem. Bestiae fideles, mus et simia et ursus, cum viderent miseriam viri, eum adiuvare voluerunt, sed ne claustrum quidem aperire potuerunt, quia hoc nunc multo stabilius fuit quam primo. Tum ursus dixit: „Necesse est nos invenire lapidem mirabilem, alioquin omnia sunt frustra facta.“ Quia mercatores adhuc habitabant in castello, bestiae unâ illuc ierunt, et cum appropinquarent, ursus dixit: „Heus mus, i illuc et perspice foramen claustrarium et vide, quid agendum sit; tu es minor quam ut ab ullo homine animadvertaris.“ Mus oboedivit, sed reversus dixit: „fieri non potest, nam vidi lapidem haerere sub speculo taeniolâ rubrâ suspensum, et a dextris et a sinistris sedet catta magna oculis igneis praedita, quae lapidem custodit.“ Tum ceterae bestiae dixerunt: „Eas iterum ad ianuam, exspecta, dum dominus in lecto iaceat et obdormiscat, deinde per foramen irrepe, ascende lectum, nasum domini morde, morsuque deseca eius capillos!“ Mus autem iterum iit ad ianuam, fecit ut ab aliis iussus erat; dominus nunc excitatus nasum fricavit stomachans : „Cattae“, inquit,

„non aptae sunt, nam sinunt mures inire, qui mihi desecant capillos e capite“ et ambas cattas fugavit. Tum mus victoriam peperit.

Alterâ nocte cum dominus obdormivisset, mus irrepsit et arrosit taeniolam rubram, e quâ pendebat lapis, usque dum eâ discissâ lapis decideret: deinde mus eum traxit usque ad ianuam domesticam. Mus autem miserculus pondere lapidis molestatus simiae dixit iam exspectanti: „tu nunc effer lapidem manu tuâ.“ Id autem simiae facile erat factu; qui lapidem manu apprehendit et unâ ierunt ad flumen. Tum simia: „Quo nunc modo veniemus ad cistam?“ Tum ursus respondit: „Hoc mox fiet, ego ibo in aquam et natabo; tu, simia, inside dorso meo, utrâque manu me tenê comprehensum, lapidemingere ori tuo; muscule, tu insideas auri meae dextrae.“ Itaque haec fecerunt, per fluvium natabant. Aliquamdiu post ursus silentii impatiens coepit garrere: „Audi, simia, nos quidem sumus boni sodales, nonne?“ At simia non respondit et tacita remansit. Tum ursus: „Tune“ inquit „quomodo te geris? Nonne vis respondere sodali tuo? Malum est non respondere!“ Tum simia non diutius potuit tacere, ôs aperuit, ut lapis in aquam decideret et ursum vituperavit, „quonam modo respondere potui lapide ori ingesto? Nunc eum perdidimus, et hoc factum est tuâ culpâ!“ Tum ursus: „Noli indignari,“ inquit, „cogitando inveniemus remedium.“ Deinde consuluerunt, et ranas, bombinas<sup>2</sup>, omnesque bestias, quae vivunt in aquâ, convocaverunt, et dixerunt: „impetum in vos faciet ingens hostis, curate, ut lapides comparetis quotcumque potestis, ut aedificemus vobis murum, quo protegamini.“ Tum bestiae territae undique attraxerunt lapides, tandem etiam vetus rana crassa coaxatrix<sup>3</sup> e fundo fluminis urinata annatavit et secum attulit taeniolam illam rubram rostro impositum, cui alligatus erat lapis mirabilis. Tum ursus gaudio completus onere ranae accepto paucis verbis valedixit. Deinde tres bestiae descenderunt ad virum cistae inclusum, lapide adhibito operculum diffregerunt et venerunt recto tempore, nam vir pane et aquâ consumptis fame paene perierat. Lapide mirabili recepto sibi exoptavit bonam valetudinem et effecit, ut insideret in castello suo pulchro, cui adiacebant hortus et stabulum equorum; ibidem vixit iucundê, et tres bestiae apud eum manserunt, et bene se habuerunt per totam suam vitam.

<sup>2</sup> \*bombîna, -ae f. orig. *Unke*.

<sup>3</sup> rāna \*coaxātrîx (nomen iocosum) orig. *Quackfrosch*.

**FABELLAS GRIMMIANAS**  
**QUAE THEODISCE INSCRIBUNTUR**  
**„Der süße Brei“ ET „Die treuen Tiere“**  
**IN LATINUM CONVERTIT**  
**LEO LATINUS.**

## ECCE LIBRI LEONIS LATINI

*Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.*

*Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hôt tempore apud Leonem Latinum prostant venales:*

- |   |         |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat).....                       | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum).....                  | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser).....                | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne).....     | 22,00 € |

*PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».*

*GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.*

*Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.*

*Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtualementem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.*

*Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EIS AEI.*



## INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mand a-telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANS-LATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI-TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	<b>FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA</b>	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	<b>FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibiles</b>	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	<b>TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM</b>	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	<b>ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE</b>	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	<b>ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibiles</b>	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	<b>MEMENTO MORI</b>	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	0040 A	978-3-938905-17-3	<b>MEMENTO MORI – Libri audibiles</b>	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	<b>DE CRAMBAMBULO</b>	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	<b>DE DINOSAURIS</b>	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	<b>SUDATORIUM VENERIS</b>	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	<b>PERICULUM FRANCISCI</b>	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	<b>NUPTIAE ABDERITANAE</b>	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	<b>TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN</b>	Henricus van den Lande de Raelt	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

14	01104	978-3-938905-10-4	<b>DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO</b>	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	<b>FABELLAE GRIMMIANAE 1</b>	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	<b>ROMULUS MAGNUS</b>	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	<b>DE THILO CUSTODE FERRIVIAE</b>	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	<b>HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)</b>	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	<b>WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT</b>	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	0050	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – <b>Libri audibiles</b>	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	0060	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – <b>Libri audibiles</b>	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	0070	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – <b>Libri audibiles</b>	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	<b>AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE</b>	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	<b>DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIIUM</b>	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – <b>Libri audibiles</b>	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	0040	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – <b>Libri audibiles</b>	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – <b>Libri audibiles</b>	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90

28	00107 A	978-3- 938905-27- 2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207 A	978-3- 938905-28- 9	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90
30	00307	978-3- 938905-29- 6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD- ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,  
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM  
DUCENTESIMAM VICESIMAM PRIMAM  
SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**



**Die Dominicâ, 04. m.Octobris a.2020**

**Nicolaus Groß**  
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae